



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 116. Electoris Palatini responsum ad Papæ literas hac super re.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

eundem Electorem literas dedit, de-  
 clarans, quod Apostolica auctoritate  
 cuncta in hoc recessu contenta, quæ  
 Catholicæ fidei, Divino cultui, anima-  
 rum saluti, Ecclesiæ & auctoritati Apo-  
 stolicæ Sedis, jurisdictioni, libertati,  
 privilegiis & juribus officiant, nulla,  
 & irrita sint, proin Elector hoc pro-  
 missio nequaquam teneatur, nec illud  
 ullo pacto observari possit, ac debeat.

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1712.

§. CXVI.

*Electoris Palatini responsum ad has  
 Papæ literas.*

Acceptis hisce Papæ literis Elector pro  
 sua erga sacram Sedem reverentia

*Epist. Clem.  
 XI. p. 1735.*

Düsseldorfio die vigesima octava Augusti  
 hæc rescripsit: „Ubi primum certior factus  
 „fui recessum Religionis pro Palatinatu  
 „dudum nempe die 21. Novembr. 1705.  
 „jussu meo editum Sanctitati Vestræ  
 „displicuisse, omni, qua potui celeri-  
 „tate, ac diligentia, eidem Sanctitati  
 „Vestræ caussas, circumstantiasque,  
 „quæ animum meum ad ejusmodi re-  
 „cessus promulgationem promoverunt,  
 „necnon rationes, quibus id agens,  
 „Ecclesiæ, ac Religionis caussam ne-  
 „quaquam lædere, sed potius juvare  
 „existimaverim, reverenter deferri cu-  
 „ravi, pluribusque explicui. Receptis

Hh 4

„nunc



Sæc. XVIII. „nunc Apostolicis Sanctitatis vestrae li-  
 A. C. 1712. „teris die trigesima Julii ad me con-

„scriptis, supremo sanctæ Sedis judi-  
 „cio me humillime submitto, uberiora,  
 „quæ debeo, filialis meæ erga Sancti-  
 „tatem vestram obedientiæ argumenta,  
 „sicut Catholicum Principem decet, re-  
 „ipsa daturus; neque enim in tuendis  
 „aut vindicandis Ecclesiæ atque ortho-  
 „doxæ fidei juribus mea ex parte quic-  
 „quam deesse unquam patiar: omni-  
 „modo confidens Sanctitatem vestram  
 „a me nihil desideraturam, quod im-  
 „perii sanctionibus, pacisque legibus  
 „successive conditis (Ecclesia ac reli-  
 „gione inoffensis) adversari valeat.  
 „Qui, quod superest, Sanctitatem ve-  
 „stram Divinæ tutelæ, ejusdem ven-  
 „constanti Benevolentiæ quam devoti-  
 „sime me commendans, permaneo.

Cum autem Pontifici nuntiatum  
 fuisset, quod cujusdam A catholici Prin-  
 cipis Ministri summo studio contende-  
 rent, ut Carolus Electoris Frater præ-  
 fatum recessum approbaret, ratumque  
 haberet, hinc Pontifex anno sequenti  
 die nona Martii hunc Principem se-  
 rio admonuit, ne quicquam pollicere-  
 tur, quo hæc sanctio in usum unquam  
 induci, vel executioni mandari posset.